

1574

præteritas clades , nonnullorumque fluxos animos impar ad belli grave adeo pondus sustinendum existimabatur . In ea vero oppugnanda de maris imperio agi certum erat ; cum medio ponto jacens insula , Aegæo non modo , ac Ionio imperitaret , verum Mediterraneo quoque imminere censeretur . Erant qui Corcyrae timerent ; quod eo , veluti propugnaculo , occupato , ingentia ad Italiam invadendam fundamenta jacerentur . Nec deerant qui Ascrivium invasuros Turcas putarent , cum , ut contractam ignominiae notam , ex Varbagnæ munitionis expugnatione delerent , tum ut Adriatico sinui frena quadammodo imponerent . Ad hæc confienda haud magna impedimenta habituros plerique opinabantur , vel ob immensum prægrandis imperii robur ; vel ob pacis fiduciam , qua permotæ Veneti , majore classis parte exarmata , Fuscarenum in patriam revocaverant ; ab iisque imparati erant , quibus potentissimi hostis impetus averti ac retundi potuisset : fœdera cum reliquis christianis Principibus , ob pacem absque eorum consensu cum hoste initam , abrupta ; parum ob id propensos in Rempublicam sociorum animos .

His fiebat , ut Patres variis curis distenti , vererentur , ne Selymus eo armorum impetum dirigeret , quo facilius & novis accessionibus imperium augere , sitimque dominandi inexplebilem exfaturare posset . Itaque priore animi vigore assumpto , tamquam haud dubie hostem invadentem excepturi , denuo milites conscribere , classem augere , commeatus curare cœpere . In primis vero id necessarium arbitrati , ut Pontifex de præsentis rerum statu doceretur , quæ crebris nuntiis quotidie Byzantio afferebantur , Gregorio significant . Verendum esse ne tot apparatus moles denuo in Reipublicæ ditiones , ac præcipue in Cretam decideret , quæ hoc tempore pro vallo christianarum ditionum objiceretur : in ea tuenda communem omnium rem agi ; ne Turcæ , ea occupata , in immensum maritimas vires augeant ; mediterraneum ab Hellesponto usque ad Gades excurrant ; sibique gradum ad Italiam præstruant , cuius invadendæ desiderio Ottomani Principes flagrarent . Pontifex , si res urgeat , Reipublicæ minime defuturum ; auxilium , atque opem quacumque illi ratione laturum pollicetur . Eodem offici genere , Senatu jubente , Laurentius Priolus legatus

Veneti ad bellum turcicum excipiendum denuo se convertunt.
Senatus Pontificis & Hispaniae Regi turcicas res exponit.

cum